

*universalis p)*, vel *partialis*. Illa est, summa caloris totius anni, quavis regione sub certa latitudine. Hæc est summa caloris locorum singularium, quorum diversitate maxima vegetationis dissimilitudo oritur; unde vegetatio, respectu distributionis plantarum geographicæ, est vel *latitudinalis*, vel *localis*. Hæc vero est vel *continentalis*, vel *maritima*. Vegetatio *maritima*, est vel *oraria* vel *litoralis*.

Vegetatio *latitudinalis*, ostendit terminos plantarum sub certa latitudine, quos tamen variæ plantarum species transgrediuntur, vi vegetationis *localis*.

*Vegetatio localis* respicit ejusmodi vegetabilia, quæ diversa locorum natura oriuntur, sive locum, quo nascuntur plantæ, considerare velis, sive ipsius plantæ diversitatem, a loci natura diversa pendentem.

### §. 58.

*Vegetatio oraria*, continet plantas in oris maritimis nascentes, quas aqua salina numquam tangit, quæ vero au-

---

p) Quantitas caloris univarsalis proprie fictitia est; nam in toto terrarum orbe vix duo inveneris loca omnibus rebus sibi similia. Itaque summa caloris re vera singularis est, quod vegetatio quovis thermometro certior ostendit. Quare computatio caloris hactenus ex observationibus thermometri facta in ipso, quo factæ sunt observationes loco, stricte valet; in universa autem circumjacente regione, tantum ex parte.